

BENEDICTIONES ESCULENTORUM

PRAESERTIM IN PASCHA.

TITULUS TRICESIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Esculenta possunt benedici quocumque anni tempore.
- 2 Proprium tempus est in Paschate.
- 3 Nihil sumendum in die Paschatis quod non sit benedictum.
- 4 Diabolus in ea die tentat ad crapulam.
- 5 Hac Benedictione populus praemunitur contra insidias Diaboli.
- 6 Nomine Esculentorum veniunt et Poculenta.
- 7 Non sunt collocanda super Altare, ut benedicantur.
- 8 Benedictio haec cuius juris sit?
- 9 Sacerdos nihil recipere debet pro hac Benedictione.
- 10 Ista decimatio sapit aviditatem.

1 2 3 4 5 Functio hujus Benedictionis Esculentorum quamvis in quocumque Anni tempore haberi possit super quibuscumque comestibilibus, ac etiam potulentis, ad imitationem Christi Domini, de quo saepe legimus in Evangelio, benedixisse alimenta, quae vel ipse sumpsit, vel aliis distribuit, ob illas rationes, quas adducit Quart. *d. n.* 216. Nihilominus proprium tempus hujus Benedictionis est Pascha, eo quia nihil in hac sancta die sumendum est, quod a Sacerdote prius benedictum non fuerit, Castald. *in Sabb. Sanct.* et Durand. *Rational. l. 6. cap. 86. n. 7.* Ex quo Inimicus noster tunc magis satagit supplantare, videlicet suggerendo crapulam, et immoderatum usum ciborum Paschalium post Jejunium Quadragesimale. Sicut enim tentavit Christum in Deserto post jejunium, ita et membra Christi, seu Fideles tunc praecipue supplantare conatur, videlicet completo jejuniio Quadragesimali, quando appetitus ciborum avidior est. Ne igitur Diabolus praevaleat, praemittitur Benedictio Ciborum, atque illa praemunitur Populus Fidelis contra insidias Inimici, Durand. *l. c.*

6 Quod nomine Esculentorum veniant etiam Poculenta, et homores usui humano ad mensam inservientes, clare patet ex Cyrill. Hierosol. *Catech.* 13. ubi ait: *In omnibus Crux fiat, et in Panibus comedendis, et in Poculis bibendis.* Ultra quam quod cum regulariter potus sequatur cibum, et in nutrimentum convertatur, disparitas nulla assignari potest, cur uti non debeat eodem favore, de quo supra cum Durando loquuti sumus. Ita etiam caetera liquida, pura Oleum, Acetum, et similia, Benedictione frui debent.

7 Quae tamen omnia collocanda non sunt super Altare ad hoc ut benedicantur, prout diximus in explicatione Regularum generalium de Benedictionibus, §. *ult.*

8 A quo facienda sit haec Benedictio, et an competat hoc Jus soli Parocho, disputant inter se Doctores, Bellet. *disq. Cler. d. 1. §. 3. num. 11.* stat pro Parochis. Sed Quart. (qui erat Regularis) *n. 31.* simplici Sacerdoti, absque ulla licentia Parochi, facultatem tradit. Et de facto Rituale nullam in hac Benedictione mentionem facit de Parocho, ut advertit idem Quart. *d. l.*

Nihil pro hac Benedictione accipere potest Sacerdos benedicens, unde abolendus, et eliminandus est Abusus in aliquibus Regionibus vigens, decimandi cibos benedictos, statim hac benedicti sunt, quia avaritiam, et gullam sapit, in rebus sacris praesertim fugiendam.

BENEFICIUM AGNI

PASCHALI.

TITULUS TRIGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Agni Paschalis mysteria.
- 2 Antiquitas hujus Benedictionis.
- 3 Ante sumptionem alicujus Civi potest sumi pars Agni.
- 4 Significationes variae hujus Agni.
- 5 Agnus debet esse mortuus, et coctus.
- 6 Non refert, an sit agnus masculus, vel foemina.
- 7 Dummodo non sit annosus.
- 8 Nullum peccatum committit qui ab esu Agni se abstinere.
- 9 Abstiniens a sumenda Eucharistia, sine juxta causa, peccaret.

1 Mysteria, et significationes hujus Agni satis patent, si legatur Oratio ab Ecclesia praescripta in danda hujusmodi Benedictione. In ea enim sermo habetur de Agno occiso de mandato Moysis in liberatione de Aegypto, et de postium inunctione cum sanguine ejusdem Agni. Quae omnia pro typo habenda sunt Redemptoris nostri, qui tanquam Agnus ad victimam ductus fuit, et insuper a Joanne indicatus fuit verbis illis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.*

2 3 De antiquitate hujus Benedictionis constat ex vetustissimo ordine Romano, ubi ritus praescribitur benedicendi hunc Agnum in Pascha, ut post Quadragesimale jejunium sumatur a Fidelibus aliquid de carnibus benedictis Agni, priusquam aliae carnes gustentur, cum gaudio, et laetitia ob adimplementum Scripturarum, quae jam promiserant, hunc Agnum esse venturum, et sanguine suo humanum genus redempturum.

4 Agnum insuper comedunt Fideles in Pascha ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, seu Agni Eucharistici, eo-

dem tempore a Christo instituti, et per Agnum legalem praefigurati, ut habemus in Hymno.

*Post Agnum typicum,
Expletis Epulis,
Corpus Dominicum
Datum Discipulis, etc.*

5 6 7 Debet esse mortuus iste Agnus, non autem vivus ante Benedictionem, imo coctus, et assatus, adeo ut a Benedictione ad Mensam illico afferri possit, nec refert utrum masculus, vel foemina sit, dummodo non sit multis annis adultus; Figura enim Agni innocentis praeterit si cum Armento per annos misceatur.

8 9 Si quis se abstinere a comedendo Agno Benedicto in Pascha (secluso contemptu) nullum peccatum committeret non enim est de Praecepto ista benedictio, sed tantum de consilio. Secus vero peccaret, si ab Eucharistia Mensa ab Agno figurata se abstinere, quia communia Sacramentalis in Pascha est de Praecepto Ecclesiae, ut alibi diximus.

BENEDICTIO OVORUM.

TITULUS TRICESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 Ova habent praecipuum locum inter Cibos Paschales.
- 2 Ratio physica, et naturalis.
- 3 Ovum Gallinaceum optimae nutritionis.
- 4 Ova vel cocta, vel cruda, vel alva, vel tineta et picta benedici possunt.
- 5 Functio haec non est mere Parochialis.
- 6 Resolutionis Sacrarum Congregationum, ut Papales leges, sunt observandae.

1 Inter Cibos qui tempore Paschatis benedicuntur, locum praecipuum sibi vindicant Ova. Rationes multae circa hunc Ritus adducuntur a Quart. Sect. 4. *praelud.* 2. nu. 234. sed cum fere omnes sint rationes morales, et mysticae, ego illas non reprobando, ad physicam rationem devenio: Ecclesia enim etiam in Sacris Ritibus humanae naturae comodum respicit, et ea sanctificat, quae ad naturae levamen data sunt.

2 3 Cum igitur a Jejunio Quadragesimale fiat transitus in die Paschatis ad quorumcumque Ciborum libertatem; ratio postulat, ut stomachus non gravetur tam cito durioribus Cibis: a levioribus enim incipiendum, inquit Hippocrates: Cumque Ova, praecipue Gallinacea sint optimi nutrimenti, hinc est, quod ab his incipiendum fore Cibum Paschalem rationabiliter duxit hominum consuetudo ad salutem humani corporis: atque ideo pro iis Ecclesia statuit Benedictionem, quia communiter ab Ovis initium habent Cibi Paschales, qui, ut dixi, benedicendi sunt.

4 Sint ista Ova vel cruda, vel cocta, vel cum cortice, vel nudata, vel colore aliquo tineta, prorsus benedici possunt, quia haec accidentia non mutant substantiam. Vide Quart. d. l. a n. 233. ad 240.

5 6 Quo vero ad jus istius Benedictionis, propositum fuit dubium Sacrae Rituum Congregationi: *An Capellanus Con-*

fraternitatis possit benedicere Ova tempore Paschali in Sacristia ejusdem Confraternitatis? Respondit eadem Sacra Congregatio 10. Decembris 1703. hoc pacto: Istam functionem non esse mere Parochialem, nec spectare privative ad Parochum, fieri proinde posse a Capellanis Confraternitatum, quidquid antiquitus disputaverint Doctores. Quam Respon- sionem per viam legis sequuta est postmodum S. Rota in Ma- gistrali decis. Neapolitana, Jurium Parochialium 13. Martii 1711. per tot. coram Ansaldo. Ubi nervose probat, et hanc re- gulam solide firmat, quod ubi non agitur de functionibus me- re Parochialibus, caetera de jure permittuntur aliis Regulari- bus, et Capellanis, Ursaya T. 1. p. 1. d. 16. nu. 129. 130. Qui alio loco docet Resolutiones Sacrarum Congregationum uti Pa- pales leges servandas esse, p. 2. d. 18. n. 5.

BENEDICTIO PANIS.

TITULUS TRICESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Panis Benedictiones duae sunt.
- 2 Prima est instituta pro tempore Paschali.
- 3 Altera pro quocumque tempore.
- 4 Panis benedictus distribuebatur in die Paschatis Fidelibus.
- 5 Panis ex quacumque Blada, seu Farina sit, benedici potest.
- 6 Figura Panis non limitatur.
- 7 Dummodo sit cibus comedendus in die Paschatis.

1 2 Duae sunt Benedictiones Panis praescriptae ab Ecclesia in Rituali Romano. Prima videtur, quod instituta sit, ut adhibeatur tempore Paschali, ut apparet ex verbis ipsiusmet Orationis in hac Benedictione adhibitae, nempe: *Panis Angelorum: Panis vivus aeternae Vitae*; Quia tempore Paschali, omnibus fidelibus distribuitur Cibus Eucharisticus, qui vere est Panis vivus vitae aeternae, et Panis Angelorum, ut clare demonstrant verba Ecclesiae in administratione hujus Sacramenti adhibita.

3 Altera vero est pro quocumque tempore: ideo de hac secunda dicemus in sequenti Titulo: modo de prima benedictione facta in Paschate.

4 Distributum fuisse hunc Panem benedictum in die solemniori Paschatis habemus ex antiquo *Ordinario Caeremoniali* Ferrariensis Ecclesiae, in membranis conscripto, characteribus Saeculum decimum tertium redolentibus, asservato in Archivio Capitulari, a quo hanc particulam fideliter desumpsit R. D. Joseph Antenor Scalabrini Parochus Ecclesiae S. Mariae de Bucca in rebus antiquis satis eruditus. Verba sunt: *Resurrectio Domini, duplex Majus; et duo dies sequentes. Paramenta Alba tota illa septimana; tres campanae; tribus vicibus; tribus diebus; Reliquiae, et Crux ponuntur in Altare;*

Fit Processio; DATUR DE PANE BENEDICTO. Praedicatur tribus diebus, et fit processio ad Baptismum in Vesperis, Tobaleae pulchrae, Tapegia, etc.

5 6 7 Iste panis non limitatur, quod esse debeat vel triticeus, vel ex alio grano: scimus enim, Christum Dominum benedixisse, et multiplicasse quinque panes hordeaceos, *Matth.* 10. Neque praescribitur quod sit talis, vel talis figurae, sicuti neque prohibetur, quod cum Saccaro, vel alia re sit conditus; dummodo Panis iste sit Cibus in Mensa Paschali comedendus, nihil obstat quin benedicatur ad servandum ritum, et consuetudinem apud Fideles introductam, et laudabilem non sumendi cibum in illo Sacratissimo die, nisi benedictum, ut supra demonstravimus in *Benedictione esculentorum, Tit.* 56. n. 3.

ALIA

BENEDICTIO PANIS.

TITULUS TRICESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Haec Benedictio instituta est ab Ecclesia pro quocumque temp ore.
- 2 Habet originem ab Apostolis, imo a Christo.
- 3 Sanctus Petrus solitus erat benedicere Panes.
- 4 Fuit introducta in solatium illorum, qui non communicabant Sacramentaliter.
- 5 Spectabat ad Clericos Lectores.
- 6 Hodie sublatus est iste usus.
- 7 Panis benedicitur pro Infirmis.
- 8 Habebatur in magna veneratione apud antiquos.
- 9 Documenta ex hac Benedictione Panis desumpta.
- 10 Benedictio haec post Missam antiquitus fiebat.
- 11 Panes benedicti mittebantur ad absentes.
- 12 Panis benedicendus debet esse communis, et usualis.
- 13 Panes S. Nicolai Tolentinatis.
- 14 Panes ex clibano S. Catherinae Vigriae.

1 Altera Panis Benedictio, de qua modo loquimur, instituta est ab Ecclesia, pro quocumque tempore, circa quam plura, et maiora sunt dicenda, quam dicta sint in antecedenti.

2 3 Ab ipsis Apostolis originem habet haec Benedictio, imo ab ipso Christo, prout clare videmus in Luc. 9. et 24. Refert etiam Abdias. l. 1. certam. Apostol. D. Petrum Apostolum solitum fuisse benedicere Panes, et illis plures Infirmos a variis morbis liberasse. Sed hunc Scriptorem damnat Bellarmin. de Script. Eccl.

4 Iste Ritus benedicendi Panem in primitiva Ecclesia introductus fuit in solatium eorum, qui non communicabant sacramentaliter, ut loco Eucharistiae, Panem benedictum acciperent veluti ejus typum, et umbram. Quartus Praeud. 2, tit. 3. n. 242.

5 6 Cujus Benedictionis munus spectare ad Clericos cons-

titutos in ordine Lectoratus, apparet ex Pontificali Romano in Orationibus pro ordine Lectoratus, ubi haec verba leguntur: *Lectorem siquidem oportet, benedicere Panem, et omnes fructus novos.* Sed in usu amplius non est apud Clericos iste Ritus, ex quo multiplicatus est, et abundat numerus Sacerdotum, ex Sarnell. Ep. Eccl. T. 6. Ep. 16.

7 8 Insuper ad illum servandum, et infirmis distribuendum benedicitur Panis, unde in maxima veneratione olim erant apud Christianos Panes benedicti a Viris Sanctis, Scribit enim S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis haec verba ad nostrum casum facientia: *Concurrebant Episcopi, et Presbyteri; Greges etiam Monachorum, aliique nobiles, et ignobiles, ut benedictum ab eo Panem acciperent, quo innumeri sanabantur.*

9 S. Vincentius Ferrerius diffuse de hac Panis Benedictione loquitur, *serm.* 10. sub hoc titulo: *de Pane Benedicto*, et in eo triplex documentum ostendit, videlicet Veritatis, Utilitatis, et Charitatis, quae distincte explicat Quart. *ibid num.* 242.

10 Haec Panis Benedictio fieri solebat antiquitus post Missam, et distribuebatur Fidelibus, ne illi, qui Sacram Eucharistiam non sumpserant, absque ullo fructu Benedictionis discederent, et saltem communicarent spiritualiter.

11 12 Mittebantur etiam Panes Benedicti ad absentes, in signum Catholicae unionis, sicuti aperte colligitur *ex Can. Pii I. de oblationibus Popul. et ex Concil. Laodic. can.* 14. et 49. et *ex Concil. Cathag. 3. c. 5. Quart. de nu.* 241. ubi nota, quod iste Panis debet esse communis, et usualis, nullaue alia re immixtus.

13 14 Hodie benedicuntur Panes nuncupati S. Nicolai de Tolentino, qui fidelibus Infirmis distribuuntur, in memoriam Jejunii diuturni ejusdem Sancti. Ferrariae quoque benedicuntur, et distribuuntur Panes in honorem S. Catharinae de Vigris, qui coquuntur in Clibano Monasterii Sanctissimi Corporis Christi, in quo ipsa portentum illud operata est, ut Panis, quem ad coquendum intulerat, per longas horas, ab ea in Sacra praedicatione audienda impensas, non combureretur, neque assaretur, licet Clibanus valido igne arderet.

BENEDICTIO NOVORUM

FRUCTUUM.

TITULUS TRICESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Primitiae omnes Deo offerendae.
- 2 Benedictio haec quare instituta!
- 3 Antiquitas haec Benedictio spectabat ad Lectores.
- 4 Nomine Frugum quid intelligatur?
- 5 Fructus debent nominatim exprimi in Oratione.
- 6 Fideles non obligantur ad hanc Benedictionem.
- 7 Nisi illam velint titulo gratitudinis erga Deum.

1 2 Primitias Frugum Terrae, Deo omnium rerum Autori, et Datori, oblatas antiquitus fuisse, ex praecepto Legis, clare demonstrat *Exod. cap. 33. et Deuteronom. cap. 26.* Abrogata vero Lege antiqua, illud apud Christi fideles remansit, ut Deum omnium donorum largitorem recognoscerent: quare non ad illius praecepti adimplementum, sive imitationem, sed ad recognoscendos hos fructus a divina largitate, fuit ab Ecclesia haec Benedictio instituta, tamquam juri naturali valde conformis, rejectis tamen Ritibus, et Caeremoniis Veteris Testamenti. Ejus origo a temporibus Apostolorum est apud Fideles, prout testatur Clemens Romanus, *l. 7. c. 3.*

3 Antiquitus ad Clericos Lectores spectabat hoc officium benedicendi novos Fructus, ut in antecedenti Titulo diximus, *numer. 5.* ex Pontificali Romano: sed hodie propter copiam Sacerdotum a solis presbyteris peragitur.

4 5 Nomine Frugum, seu Fructuum veniunt omnes Fructus tum Arborum, tum Herbarum, et Graminum, et nomine *novorum* veniunt qui primo ad maturitatem perveniunt: et ii omnes in Oratione praescripta ad illam litteram N, debent nominatim exprimi; v. g. Poma, Pira, Ficus, Uvae, Fabae, Fra-

ga, Pepones, et similis naturae quicumque Fructus benedici velint, ut sanctificati per hanc Benedictionem prosint sumenti ex eis, tum Corpori, tum Animae, *Quart. Tit. 3. num. 249.* Et sic omnes reliqui Fructus Deo oblati censentur.

6 7 Ad hanc Benedictionem impetrandam non obligantur Fideles sub rigoroso praecepto, seu sub ritu Caeremoniali veteris Legis, quia jam illa abolita est, sed tantummodo ex titulo gratitudinis erga Deum, quatenus ipse est Fructuum Terrae largitor, et conservator. Quare Origenes, *Hom. 11. in lib. Num.* sic ait. *Si quis non afferat Primitias Sacerdotibus, non videtur hujusmodi habere memoriam Dei; nec cogitare, nec credere, quod Deus dedit fructus, quos coepit, etc.* Verum hic de Primitiis sermo fit, non autem de Benedictione; et Titulus, sive textus noster de hac secunda loquitur, quae potest imperiri fructibus in proprium dominorum usum convertendis, et non semper Sacerdotibus tradendis, jure primitiarum.

tionis Esculentorum; nisi quod etiam extra tempus Paschale potest haec Benedictio fieri, quia non omnia comestibilia in una tantum e quatuor Anni partibus producuntur, seu in usu sunt. Ver enim habet sua convenientia, et apta comestibilia; Aestas, Autumnus, et Hyems sua, quae alteri non conveniunt.

BENEDICTIO AD QUODCUMQUE

COMESTIBILE.

TITULUS TRICESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Cibus humanus multiplex.
- 2 Benedictio haec omnes Cibus amplectitur.
- 3 Unde apparent erroneae quaedam Benedictiones Circuli Aurei.
- 4 Benedictio haec fit extra tempus Paschale.

1 2 Cum multiplex sit humani Corporis Cibus, quo Homines vesci possunt, si singulo eorum assignanda esset particularis forma, et Oratio pro speciali Benedictione, Opus, et Ritus Benedictionum pene in immensum procederet. Hinc est, quod Ecclesia provide statuit, post traditas nonnullas particulares Benedictiones, communioribus, et usu obviis cibis, unam praescribere formam, quae omnia, et singula comestibilia, seu esculenta, seu potulenta amplecteretur, et quibuscumque similis naturae impertiri posset, semper expresso nomine talis Cibi, seu potus, ad appositam litteram N.

3 4 Hinc erroneae videntur, et jure merito ab Ecclesia damnatae quaedam Benedictiones specificae, Carnium, Lactis, et Mellis; Medicinae, vel Juris, Orizarum Piscium, Prandii, vel Coenae, Vini, et Aceti, et similibus quae in libello quodam nuncupato *Circulus Aureus*, insertae fuerunt, absque Sacrae Rituum Congregationis approbatione, quae in his rebus magistra est, et ab omnibus attendenda. Non enim cuique licet novas Benedictiones, novas formulas, et novos Ritus adinventire, spreta eadem Sacra Congregatione; quae ad quodcumque Comestibile in rerum natura, in genere, et in specie hanc formulam Benedictionis assignavit, circa quam nihil habeo quod superaddam ad ea, quae adnotavi ad Titulum *Benedic-*